1

N. 1.

Copia di Bolla di Sisto IV
Privilegi ai PP. Carmelitani
12 ~~14~~ agosto 1483

Istituto Campana Osimo ®

Codex lxxvi.

Istituto Campana Osimo ®

Istituto Campana Osimo ®

Sixtus Episcopus Servus Servorum Dei
Ad perpetuam rei memoriam. Sedis
apostolice gratiosa benignitas piis
quarumlibet sub regularis observantie disciplina domino militantium
personarum votis libenter annuit, et illis que ab ea pro huius-
modi personis processisse comperit uberioris interdum apostolici
muniminis adminiculum adiicit ut eo firmius illibata persistant
quo frequentiori fuerint presidio communita illa eis etiam concedendo
per que earum indemnitatibus et comoditatibus divinique cultus augu-
mento et ipsius regularis observancie consolidatati provideri, ac
personarum earundem evagationi valeat salubriter obviari. Dudum
siquidem felicis recordationis Eugenius papa iiii.° predecessor
noster Mantuan. et Gerunde ac Siluarum prope castrum Lastre
ordinis fratrum Beate Marie de monte carmelli de observantia
Sedunen. et Florentin. diocesis domos eorumque Priores et fratres
tunc presentes et futuros a quorumcumque dicti ordinis superiorum commu-
niter et divisim, eorum Generalis Prioris pro tempore existentis
dumtaxat excepta obedientia et subiectione auctoritate apostolica
per quasdam suas exemit ac exemptos esse voluit, mandando
omnibus et singulis officialibus dicti ordinis, ne Priores et fratres
predictos ad aliquod consuetum vel alias officium impendendum
cogere quoquomodo presumerent, ac decrevit statuit et
ordinavit quod extunc deinceps solum et immediate sub ipsius
generalis Prioris protectione et subiectione esse deberent
et quod idem generalis Prior solus per se tantum posset Priores
et fratres predictos et eorum domos visitare ac alia huiusmodi
visitationis offitium concernentia facere, et exercere, Qui

Istituto Campana Osimo ©

tamen non extra sed intra domos easdem duntaxat eosdem Priores
et fratres quamdiu in observantia religionis huiusmodi vi-
verent corrigere vel punire nec aliquos eorumdem in eadem observantia persistentes
ab eisdem domibus amovere et ad alia loca transferre nec
alios aliorum locorum fratres contra voluntatem ipsorum fratrum
de dicta Congregatione in eorum domibus ponere neque Vicarium
generalem eorum pro tempore existentem vel Priores predictos
in eisdem domibus residentes pro tempore nisi propter enormem
ipsorum excessum qui tollerari iuste nequiret absolvere valeret
quique dicte domus ac earum conventus per unum Vicarium per
eos seu maiorem partem fratrum vocalium ex eis ac alias
canonice elligendum et per prefatum Priorem generalem
pro tempore existentem aut eo recusante per sedem apostolicam
confirmandum pro tempore regi et gubernari deberent
Qui quidem Vicarius sic ellectus et Confirmatus
cuiusque per eum Licentia minime requisita loca alia
tam mancipata quam mancipanda eidem congregationi obser-
vantie et tam constructa seu hedificata etiam cuiusvis
alterius ordinis quam construenda [^] Tria duntaxat sibi ad finem
et effectum quod sub eadem obedientia reformarentur et
gubernarentur canonice oblata seu concessa forent simul
vel successive de novo recipere ac tam in illis quam in predictis
domibus omnes et singulos fratres ex aliis Conventibus
dicti sui ordinis ad huiusmodi observantiam peragendam
sponte venire volentes assumere et admittere valeret
ac super predictarum domorum et recipiendorum locorum conventibus
et singularibus fratribus eam potestatem et auctoritatem haberet

[^] seu edificanda

quam generalis Prior predictus existens pro tempore super
domorum et locorum tocius ordinis prefati de Montecarmello
Conventibus et singularibus personis habere dinoscitur ac
suas non tamen ex toto vices dum sibi videbit expedire
in domibus et recipiendis Locis predictis possit alii vel
aliis committere et postquam in huiusmodi Vicariatus offitio
Bienium complevérit eo ipso ab eodem offitio sit et
esse intelligatur absolutus nisi ante huiusmodi Bienii
Lapsum predicti et alii aliorum recipiendorum Locorum
Priores una cum maiori parte fratrum vocalium eorumdem
consenserint ut permaneat quo casu idem Vicarius dictum
officium adhuc per aliud bienium extunc immediate
sequturum et sic deinceps sine aliis ellectione et confirmatione
de se de novo faciendis exercere valeat sicut prius eo autem
absoluto vel defuncto in ellectione et confirmatione et
permanentia alterius novi Vicarii quotiens illarum casus
ingruerit pro tempore modus ex toto servetur antedictus
Que omnia et singula supradicta ad ipsa tria loca que per
eundem Vicarium recipi contingeret ut prefertur illorumque
Priores et fratres qui sub eadem observantia degerint
pro tempore pariformiter extendit et extendi voluit
singulasque annuales taxationes singulis domibus predictis
per generalem predictum aut provinciales Priores seu quosque
alios officiales dicti ordinis imponendas pro tempore ad
trium florenorum auri de camera summam ultra quam quelibet
earumdem domorum pro cuiuslibet anni solutione nullatenus
compellantur reduxit et reducta esse declaravit ac etiam

per alias suas litteras inter cetera statuit et ordinavit quod ex
tunc deinceps perpetuis futuris temporibus quandiu Priores
et fratres predicti sub dicta regulari observantia viverent
ab ipsis seu ad minus a duabus partibus eorum in Vicarium
concorditer electus eo ipso canonice confirmatus esse censeatur
et absque alicuius superioris Licencia omnimodam potestatem
habeat perinde ac si per dictum generalem magistrum seu
auctoritate apostolica confirmatus extitisset. Et deinde pie
memorie Paulus papa ij. etiam predecessor noster ex
certis tunc expressis causis statutum per Priores et
fratres dicti ordinis de observantia in tribus eorum capitulis
ultimo celebratis et in quorum uno Generalis totius ordinis
predicti prefuit factum et ordinatum videlicet quod extunc de cetero
ipse Vicarius de Biennio in Biennium et alias ydoneus
qui per octo vel decem annos in dicta observantia continue
steterit per fratres tantummodo in sacerdotio constitutos eli-
geretur ydque officium Vicariatus huiusmodi per duos annos
tantum et non ultra duret. Quibus finitis prefatus
Vicarius qui officium predictum Biennium ut premittitur
exercuerit ad illud ulterius exercendum infra quatuor
annos exinde secuturos penitus sit inhabilis auctoritate
apostolica per quasdam suas confirmavit et approbavit
Et successive Nos motu proprio et ex certa nostra scientia
auctoritate apostolica per alias nostras litteras sancximus
quod fratres dicte congregationis de observantia qui extunc
de cetero ab observantia huiusmodi sine suorum superiorum
Licentia speciali ad Conventuales transire et illi ex

Istituto Campana Osimo ©

Conventualibus predictis qui transeuntes predictos recipere
presumerent sententiam excommunicationis quam in transeuntes
et singulares personas Conventuum seu domorum recipientium
huiusmodi motu et scientia predictis ex tunc protulimus, eo
ipso incurrerent a qua absolvi non possent nisi a nobis et successoribus
nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus preterquam in
mortis articulo constituti prout in Eugenii et Pauli predictorum
ac nostris desuper confectis litteris predictis plenius continetur.
Cum autem sicut exhibita nobis pro parte dillectorum filiorum fratris
Baptiste Mantuani Sacre theologie Magistri moderni Vicarii
ac universorum Priorum et fratrum dicti ordinis de observantia
petitio continebat, ipsi cupiant tam premissa quam alias dicto
ordini regularis observantie per sedem apostolicam Concessa
privilegia etiam per nos approbari ac etiam alia facultates
et privilegia Generali dicti ordinis per sedem apostolicam
concessa fuerunt que an etiam per Vicarium predictum vigore
dictarum litterarum Eugenii extensa sint dubitatur, nonnullique
ex fratribus dicte congregationis regularis observantie licencia
a generali tamquam superiore non autem a Vicario predicto obtenta
ad Conventuales transeant et ipse Generalis nonnullis
fratribus dicti ordinis regularis observantie aliquas gratias
particulares concedere consueverunt, ex quibus eisdem fratribus
evagationis materia conceditur et discordiarum occasio inter
eos generatur, habeantque quandoque domus predicte respective
terras possessiones ac alia immobilia bona ad easdem domos
respective pertinentia et ab aliis bonis distantia seu eisdem
domibus minus utilia, que si pro aliis bonis Immobilibus

Utilioribus et comodioribus permutarentur seu venderentur
et illarum precium in emptionem aliorum bonorum inmobilium
pro eisdem domibus converteretur id in evidentem domorum
predictarum cederet utilitatem Quare pro parte Vicarij
Priorum et fratrum predictorum nobis fuit humiliter suppli-
catum ut singulis privilegijs predictis robur apostolice
confirmationis adijcere aliasque in premissis opportune
providere de benignitate apostolica dignaremur: Nos
itaque huiusmodi supplicationibus inclinati predicta omnia
et singula privilegia exemptiones et indulta dicto ordini
et illius fratribus regularis observantie concessa que sunt
in usu auctoritate apostolica tenore presentium approbamus
et confirmamus ac presentis scripti patrocinio communi-
mus. Necnon auctoritatem et facultatem Generali predicto
in fratres et domos eiusdem ordinis concessam et attributam
tam de iure quam per privilegia ad dictum Vicarium nunc
et pro tempore existentem ut ipse illam in domos et
Loca quecumque nunc habita et in posterum habenda
dicti ordinis regularis observantie et illius fratres
habeat et exercere possit extendimus illamque sibi conce-
dimus per presentes: Ac quod dicti fratres regularis
observantie ad Conventuales sine Vicarij predicti vel
eius locumtenentis pro tempore existentis Licentia
sub dicta pena excommunicationis transire et alij etiam
sub simili pena per contrafacientes iuxta tenorem litterarum
predictarum nostrarum eo ipso incurrenda eos recipere ac quod
ipse Generalis aliquas gratias particulares fratribus

dicte regularis observantie nisi de consensu dicti Vicarij
concedere nequeat eadem auctoritate statuimus et
ordinamus gratiasque huiusmodi forsan per dictum Gene-
ralem eisdem fratribus concessas nisi dictus Vicarius
illas iam aut in posterum approbaverit revocamus
et anullamus: Et insuper dictarum domorum Prioribus
et Conventibus quod singuli respective dictarum domorum
Priores et Conventus precedentibus tractatibus solemnibus
in similibus observari sollitis terras possessiones ac
alia bona inmobilia ad easdem domos respective perti-
nentia et ab alijs bonis distantia seu minus utilia
si hoc in evidentem earumdem domorum quarum bona
ipsa extiterint utilitatem cedere cognoverint vendere
et illarum precium in emptionem aliorum bonorum inmo-
bilium pro eisdem domibus magis utilium seu alijs
earumdem bonis propinquiorum convertere seu pro
alijs bonis propinquioribus et magis utilibus libere et
Licite valeant eadem auctoritate licenciam elargimur
Preterea si contingat in eisdem domibus tot fratres in
sacerdotio constitutos non existere qui sufficiant pro
missis et alijs divinis officijs in ecclesijs earumdem domorum
celebrandis Prioribus dictarum domorum respective pro
tempore existentibus quod aliquos illarum fratres in vicesimo
tercio sue etatis anno constitutos alias ydoneos in
numero sufficienti prout expedire cognoverint ad
sacerdotium per ordinarios Locorum promoveri facere
et eisdem ordinarijs quod fratres predictos ad huiusmodi

Istituto Campana Osimo ®

sacerdotium et presbiteratus ordinem et illius exequtionem
promouere possint eadem auctoritate licentiam et facultatem
Concedimus et indulgemus per presentes, necnon cum
dictis sit promouendis, qui in eodem vicesimotertio Anno
ad dictum presbiteratus ordinem ut prefertur promoueri possint
dicta auctoritate apostolica dispensamus. Non obstantibus
generalis concilij et quibuscumque alijs Constitutionibus et ordi-
nationibus apostolicis, necnon ordinis et domorum huiusmodi
iuramento confirmatione apostolica, uel quauis firmitate
alia roboratis statutis et consuetudinibus ac omnibus illis
que Eugenius et Paulus in suis uoluerunt et nos in
nostris litteris predictis volumus non obstare Ceterisque
contrarijs quibuscumque. Volumus autem quod si contingat terras
possessiones et bona predicta aut illorum aliqua uigore
presentium vendi, precium inde proueniens penes aliquam
eandem sacram aut fide et facultatibus ydoneam personam
deponatur et in emptionem aliorum bonorum immobilium pro eisdem
domibus respectiue et non aliam causam omnino conuertatur
Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre
approbationis confirmationis communitionis extensionis concessionis
statuti ordinationis reuocationis annullationis elargitionis
concessionis indulti dispensationis et uoluntatis infringere
uel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attemp-
tare presumpserit indignationem omnipotentis dei ac beatorum
Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum
Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno
Incarnationis dominice Millesimoquadringentesimo

Octuagesimotertio Pontificatus nostri Anno pridie Idus Augusti
Anno xij°.

Aug

C

Jo de madijs

F. de parma

L. griffus

Primicalus

pro computatore Pancratius

Intuitu Reverendissimi d. Neapolitani et plurimorum Cardinalium uz dni Parmensis
et dni Falconis qui instantissime procurarunt

Pro totali expeditione attenta materia dumtaxat
sexaginta Primicalus

pro A. de Capuis R. pro B. de Graffeis R. pro Ber. de
Rucci R. pro F. de Graffeis R. pro Ressidium pro scriptoribus

D. de Viterbio :

Istituto Campana Osimo ®

Ego Franciscus filius egregii viri Johannis de Dandinis civis Mant. pub. imp. auct. not. presens transumptum tenoris et effectus ut supra a suo autentico originali exemplatum per me notarium ad id electum et deputatum per dominum rectorem doctorem d. Bonifacium de Preotis de Casali de Monferrato vicarium episcopalis curie Mant. una cum prudentibus viris Francisco de Paganinis et Cosma de Guidonibus notariis infrascriptis auscultantibus vidi legi et auctenticavi coram prefato d. vicario pro tribunali sedente super quadam cathedra posita sub quadam lodia dicte episcopalis curie quem locum pro ydoneo et iuridico elegit et interloquendo declaravit dicta instrumenta legitime et quia illud cum dicto suo originali in omnibus concordare inveni ideo me cum meis signo et nomine consuetis subscripsi. Anno domini a nativitate eiusdem millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo indictione quintadecima die sabati tercio mensis Marcii.

Ego Cosmus f.q. discreti viri Gabrielis de Guidonibus de Laina civis Mant. pub. imperiali auct. not. ac iudex ordinarius necnon electus et deputatus per suprascriptum d. vicarium ad auscultandum auctenticandum et insinuandum suprascriptum transumptum a suo auctentico originali exemplatum per suprascriptum Franciscum de Dandinis notarium una cum egregio viro Francisco de Paganinis notario auscultante et ipso Francisco Dandino legente vidi legi auscultavi et auctenticavi et quia in dicto suo auctentico originali concordare inveni in omnibus concordare ideo me in fidem premissorum subscripsi.

Ego Franciscus filius prudentis viri ser Thome de Paganinis civis Mantue publ. imp. auct. notarius electus et deputatus per suprascriptum d. vicarium ad auscultandum auctenticandum et insinuandum suprascriptum transumptum a suo auctentico originali exemplatum per suprascriptum Franciscum Dandinum notarium una cum suprascripto ser Cosmo de Guidonibus notario auscultante et ipso Francisco Dandino legente vidi legi auscultavi et auctenticavi. Et quia in dicto suo originali conformi fuit in omnibus concordare ideo me in fidem premissorum subscripsi.

In Christi nomine Amen. Anno domini millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo indictione quintadecima tempore sanctissimi patris et domini domini Alexandri divina ei gratia pape sexti ac serenissimi domini domini Maximiliani divina ei favente gratia Romanorum regis et semper augusti die sabati tercio mensis Marcii Mant. et sub lodia domus habitationis reverendi domini domini Bonifacii de Preotis decretorum doctoris ac curie episcopalis Mant. vicarii posita in domibus curie predicte episcopalis Mant. in contrata aquile presentibus domino Stephano de Grevensis presbitero Mant., Joanne de la Bona cive et habitatore Mant. et Ludovico cognominato el Negro Mant. curie predicte nuntio testibus adhibitis vocatis et rogatis. Ibique coram prefato r. d. domino vicario sedente super quadam cathedra posita sub lodia predicta quem locum prefatus d. vicarius elegit pro loco suo honesto et iuridico comparuit frater Matheus de Mant. ordinis carmelitarum et ipsi domino vicario exhibuit et presentavit bullas seu literas apostolicas sanctissimi d. domini Sixti pp. quarti et aliquorum aliorum summorum pontificum sancte Marie de monte Carmello bulla plumbea apostolica munitas exposuit que sibi necesse esse illas ad alienas partes transmittere et ne casu fortuito amitterentur petiit per prefatum d. vicarium eligi et deputari notarios duos qui

Istituto Campana Osimo ®

exemplet et transcribat duos quos auscultet reliquit et
subscribant quod d. dux attendens petitionem rationabilem fore
instans et honi gl(ori)a ad instans d. fratris Mathei iudicis
elegit et deputavit s(er) Iohannem de Candidis curie notar(ium)
maiorem ad transcribendum et exemplandum et qui exemplavit
transumptum et exemplum p(rese)ns et s(er) Iohannem de Paganinis
ac Iohannem de Guidonibus notarios p(ublicos) maiores ad auscultan(dum)
et auscultandum et qui ascultarunt et auscultaverunt ut p(atet) et
se se subscripserunt / cum originali suo autentico Et quia
dictum transumptum et exemplum ab originali exactum
reperitur illud in nullo [illegible] discordare Ideo prefatus
d. dominus dux ut ad instantiam predicti fratris Mathei
presentis [illegible] petitis substulerat pronunciavit et declaravit
tantam fidem adhiberi et adhiberi debere presenti transumpto
et exemplo in iudicio et extra quantum originali proprio
adhibetur et sigilli sui iussit appositione muniri [illegible]
in fidem et testimonium [illegible] premissorum

Ego Iohannes [illegible] de Iohannis de [illegible] civis
[illegible] publicus imperiali auctoritate notarius [illegible]
dum sic [illegible] presens fui [illegible] rogatus [illegible]

Istituto Campana Osimo ®

Istituto Campana Osimo ®

Istituto Campana Osimo ®

Istituto Campana Osimo ®

Istituto Campana Osimo ®

Istituto Campana Osimo ®